qui accuſatur, ſub cuſtodia [1] Officii facto, non impetrata abolitione ab executione [criminis] deſtitit.

*Fidejuſſor non tenetur ultra quantitatem quam promiſit.* Salic.

2. Imp. GORDIANUS A. Appio.

SI pro eo qui in crimen ſubſcripſit, fidem tuam adſtrinxiſti, iſque deſtitit, & commiſſa ſtipulatio eſt: non ultra [2] quantitatem quam ſpopondiſti, obligatus es: eo qui deſtitit, infamia nihilominus notando [3], & extra ordinem [4] ſecundum judicialem motum puniendo.

*Deſiſtens ab accuſatione criminali ſub prætextu certæ ſucalis cauſæ, non poteſt ad illam reverti.* Bald.

3. Impp. VALERIAN. & GALLIEN. AA. Syllano.

QUamvis eum ordinem ſcriptura contineat, ut primo abolitio criminis poſceretur, & tunc dehinc omnibus placitis obtemperaretur, non obſervationis tamen adverſaria pactorum fidem, inſtaurare [5] accuſationem minime potes, a qua ipſe deſtitiſti. PP. Prid. Non. Jul. TUSCO & BASSO CONSS. 259.

*Qui accuſationem deſeruit, amplius illam non repetit.* Salic.

4. Idem AA. Patrophilo.

SI is, de quo ſupplicas, contra parentes veſtros delatum (ut dicis) accuſationem cœperit perſequi: præſcriptio illi in judicio Præſidis deſtituto [6] rei poterit opponi. PP. Prid. Non. Maji, SECULARI & DONATO CONSS. 261.

*Mulier pacto deſiſtens ab accuſando, incidit in Turpillianum.* Salic.

5. Impp. DIOCLETIAN. & MAXIMIAN. AA. Matronæ.

SI fœmina ſuam [7], ſuorumque injuriam exſequens, cum ipſa pacto [8] contra vetitum deſtitiſſe profiteatur: in Senatuſconſulti Turpilliani pœnam eam incidiſſe certi juris eſt. S. 7. Non. April. CC. CONSS.

*Ille dicitur deſtitiſſe, qui depoſuit animum proſequendi, non qui aliquantiſper diſtulit.* Bald.

6. Iidem AA. Lucilio.

IN executionibus criminum abolitionem videtur, illos deſtitiſſe, qui animum [9] accuſationis implendæ prorſus depoſuerunt. Cum igitur alias ex cauſis [10], vel ſimplicitatis [11] ratione, necdum te ad finem vindictæ perveniſſe preces tuæ teſtentur, poteris poſtpoſita formidine impedimenti ſuper aliquantulo ſilentio, initiatam accuſationem ſecundum leges perferens, quam probabis tibi debitam vindictam reportare. PP. 3. Kal. Jul. DIOCLET. VI. & MAXIM. AA. CONSS. 296.

## TIT. XLVI. DE CALUMNIATORIBUS [12].

*Accuſatoris calumnia judicis officio mercenario punienda eſt tempore, quo fertur abſolutoria, non poſtea.* Salic.

1. Imp. ALEXAND. A. Sabino.

CAlumnia eo tempore coerceri ſolet, quo [13] de cauſa præſente accuſatore judicatur: ideoque poſteaquam de cauſa judicatum eſt, contra conſuetudinem calumniam accuſatoris puniri deſideras.

*A præſumpta calumnia excuſatur mater, & heres vindicans necem defuncti.* Salic.

2. Idem A. Apolloniæ.

MAter [14] inter eas perſonas eſt, quæ [15] ſine calumniæ timore necem filii ſui vindicare poſſunt. Ideoque beneficium Senatuſconſulti, & in aliis publicis judiciis ſervatum eſt. [16] Sed extraneus heres, qui ſuſpicionem quam de morte ſua habuiſſe defunctus cavit, exſequitur, hoc nomine a calumnia excuſatus eſt: cum inter voluntariam accuſationem [17], & defuncti vindictam hereditatis multum interſit. PP. 6. Kal. Jul. JULIANO & CRISPO CONSS. 225.

*Non probans crimen, quod intendit, non infamatur, niſi de calumnia damnetur.* Salic.

3. Idem A. Æmilio.

QUi *non* [18] *probaſſe crimen*, *quod intendit*, pronunciatur, ſi calumniæ non damnetur, detrimentum exiſtimationis non patitur. Non enim ſi reus abſolutus eſt, ex eo ſolo etiam accuſator, qui poteſt juſtam habuiſſe veniendi ad crimen rationem, calumniator credendus eſt.

*Filius accuſans de morte patris, excuſatur a præſumpta calumnia.* Bald.

4. Imppp. CARUS, CARINUS & NUMERIANUS AAA. Arcadio.

CAlumniæ pœna in *paternæ* [19] *mortis accuſatione* ceſſat. PP. 11. Kal. Decembr. CARO, & CARINO AA. CONSS. 283.

*In cauſa criminali non probans punitur de calumniis, non in cauſa civili etiam liberali.* Salic.

5. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Cæſio.

QUi *calumniatores* [20] pronunciantur, in publicorum [21] duntaxat judiciorum quæſtionibus, non etiam in liberalibus cauſis, quæ privatas diſceptationes continent, periclitari ſolent.

*Faciens torqueri ſervos alienos per calumniam, tenetur ad duplum.* Bald.

6. Iidem AA. Domitio.

DOminis [22] *ſervorum* per accuſatoris calumniam tortorum, adverſus eum pœna dupli [23] lege Julia providetur. S. 15.

*Ante inſcriptionem accuſatoris nedum reus non debet adduci, ſed nec accuſatio recipi.* Bald.

7. Impp. VALENT. & VALENS AA. ad Valerianum P. U.

NOn [24] prius quenquam Sinceritas tua ad tuæ ſedis examen jubebit adduci, quam ſolemnibus ſatisfecerit, qui nititur fidem doloris adferre: cum juxta formam juris antiqui, ei, qui cœperit arguere [25], aut vindicta propoſita ſit, ſi vera detulerit; aut ſupplicium [26], ſi fefellerit.

*Accuſator licet ſubnixus, a pœna calumniæ non excuſatur.* Salic.

8. Imppp. GRATIANUS, VALENT. & THEODOS. AAA. Menandro Vic. Aſiæ.

NOſtris [27], & parentum noſtrorum conſtitutionibus comprehenſum eſt, eos [28], qui accuſationem *alienis nominibus* præſumpſerint, delatorum numero eſſe ducendos: atque ideo calumnioſiſſimum caput [29], & perſonam judicio irritæ delationis infamiæ [30] ſupplicium ſequatur: quo poſtea ſinguli univerſique cognoſcant, non licere id eo, quod non poſſit oſtendi, Judicum animos commovere. Dat. 8. Id. Maji, *Conſtantinop.* ARCADIO A. & BAUTONE CONSS. 385.

*Per calumniam accuſantibus non proſunt beneficia abolitionum, etiam a principe conceſſa.* Salic.

9. Iidem AAA. Floro P. P.

FAllaciter [31] incuſantibus, maxime poſt exhibitionem accuſati, nullius juris color velut derivata excuſatione proficiat: non publica [quidem] abolitio, non privata talibus proficiat ſubveniatque perſonis: non ſpecialis indulgentia, nec beneficium quidem eos generale ſubducat. Dat. 15. Kal. Jun. *Conſtantinop.* ANTONIO & SYAGRIO CONSS. 382.

*Nemo poteſt mentiri impune.* Bald.

10. Impp. HONORIUS & THEODOSIUS AA. CONSS. Præt. Trib. pleb. Senatui S. D.

QUiſquis crimen intendit, non [32] impunitum fore noverit licentiam mentiendi: cum calumniantes [33] ad vindictam poſcat ſimilitudo [34] ſupplicii. Dat. 8. Id. Auguſt. *Ravennæ*, ASCLEPIODOTO & MARINIANO CONSS. 423.

## TIT. XLVII. DE POENIS [35].

*Collatio damnatorum in opus perpetuum & deportatorum.*

1. Imp. TITUS ÆLIUS ANTONINUS A. Lucio.

ETiam in *opus perpetuum* [36] damnati, non diſſimilis conditionis ſunt ab his, qui deportantur in inſulam. PP. ſine die & conſule.

*De Procuratore Cæſaris.*

2. Imp. ANTONINUS A. Valerio.

PRocurator [37] meus, qui vice Præſidis non fungebatur, exilii tibi pœnam non potuit irrogare; ac propterea fruſtra vereris ſententiam, quæ nulla juris ratione ſubnixa eſt.

*De Decurionibus.*

3. Idem A. Senatui.

D*Ecurionem* [38] in opus publicum dari non oportere manifeſtum eſt.

*De nato ex damnata in metallum.*

4. Idem A. Marinæ.

SI ante [39] *conceptus* eſt puer, de quo libellos dediſti, quam mater ejus in metallum condemnaretur: natus conditionis ejus eſt, cujus ante condemnationem ejus mater fuit.

*De liberis veteranorum.*

5. Idem A. Senatui.

HOnor *veteranis* etiam in eo habitus eſt, ut liberi [40] eorum uſque [41] ad primum duntaxat gradum pœna metalli [42], vel operis publici non afficiantur, ſed in inſulam relegentur.

1 Vid. Cujac. 8. *obſerv.* 30. 2 Fidejuſſor ultra quantitatem promiſſam non tenetur. 3 Deſiſtens ab accuſatione, notatur, *ut hic*, niſi deſiſtat juſſu judicis. *l.* 13. *in fin. ff. h. t.* 4 *l.* 3. *§. qui accuſare non poſſunt. l.* 6. §. 3. *ff. de decur.* Paul. 5. *ſent.* 5. §. 1. 5 Vid. *l.* 6. *§. qui accuſare non poſſunt.* 6 Sic reus reſtitutus apud Paulum 1. *ſent.* 6. ab accuſatore deſertus. 7 Imo quæ ſuam & propriam injuriam exequitur, ſi deſtitit, Turpilliano non tenetur. *l.* 4. *ff. h. t.* 8 Ratio decidendi. 9 *l.* 6. §. 1. *ff. h. t. l.* 10. *ff. de judic.* 10 Qui ex cauſa deſiſtit, deſiſtentis pœnam non patitur. 11 Simplicitas excuſat a Turpilliani pœna.

12 *L.* 9. *C. Th.* 39. *L.* 3. *ff.* 6. 6. Harm. 9. 13 Id eſt, tempore ſententiæ. *l.* 3. *J. h. t. l.* 1. §. 4. *ff. ad SC. Turpill.* 14 Mater ſine calumnia vindicare defuncti filii necem præſumitur. 15 *l. ult. ff. de publ. jud.* 16 A præſumpta calumnia excuſatur heres vindicans necem defuncti: juſtam enim ignorantiæ cauſam habuit. *l.* 42. *ff. de reg. jur.* 17 *l.* 54. *ff. de rei vindic. l.* 14. §. 9. *ff. de bon. lib.* 18 Ut calumniator non punitur omni modo is, qui accuſavit alium, quem poſt judex abſolverit: tunc demum enim accuſator, ut calumniator, punitur, cum judex pronunciaverit accuſatorem calumniatorem eſſe, non enim ſufficit ei dictum a judice fuiſſe: *non probaſti.* adde *d.* §. 4. & *l.* 1. *ſupr. h. t.* 60. *Synopſ. Baſil. cap.* 30. 19 Filius accuſans aliquem velut patris interfectorem a præſumpta calumnia excuſatur. adde *l.* 2. *§. h. t.* 20 Si judex ita fuerit interlocutus, *Calumniatus es. d.* §. 4. 21 Non privatorum. *l.* 7. *in fin. ff. ad SC. Turp.* 22 Dominus ſervi, qui quæſtioni ſubjectus fuit, accipere duplum debet ab eo, qui per calumniam accuſavit. *Synopſ. Baſil.* 7. *tit.* 6. *ex lib.* 60. *lib.* 1. *c.* 33. vel ita, ſi in caput ſuum ſervus torquebitur & abſolvetur, domino ex lege Julia in duplum condictio competit, *ut hic. l. ult. ff. de calumniat.* Quid ſi in alterius caput torqueantur ſervi? non niſi ſinguli torqueri poterunt, quod invito domino non eſt permittendum: niſi delator, cujus intereſt, quod intendit, probare, pretia eorum, quanti dominus taxaverit, paratus ſit inferre, vel certe deterioris facti ſervi ſubire taxationem. Paul. 5. *ſent.* 16. §. 3. 23 *l. ult. ff. h. t. l.* 27. *in fin. ff. ad l. Jul. de adult. l.* 6. *ff. de quæſtionib.* 24 Accuſante aliquo non ante reus in judicium trahitur, quam & ille ſatisdederit, ſe reum peractum iri: ut eo vera docente, reus condemnetur: aut ſi fefellerit, ipſe periclitetur. *Syn.* 26. *c.* 34. *l.* 9. *C. Th. de accuſat. l.* 2. *§. de exhibendis reis.* 25 *Urguere*, Cujacius apud Paul. 5. *ſent.* 14. §. 1. 26 Vid. *l.* 17. *in fin. §. de accuſat.* 27 *l.* 2. *C. Theod. h. t.* vid. Cujac. 4. *obſ.* 29. 28 Calumniator in crimine publico, infamia notatur & deportatur: modo ſi alienam accuſationem perſecutus eſt, ut ſuam cauſam. *Syn. Baſil.* 60. περὶ συκοφάντων. *tit.* 9. *c.* 36. 6. Harm. 9. §. 1. 29 Sic apud Juſtin. 16. *Auſuſne es, nefandiſſimum caput. d. tit. c.* 36. 30 *l.* 1. *C. Theod. de abolit. l.* 3. *ſupr. de abolit.* Imo ferro puniuntur. 1. Harm. 5. *in fin.* adde *l.* 5. *J. de delatoribus.* 31 *l.* 15. *ff. de jure fiſci.* 32 *l. ult. verſ. nec impunitam. §. de accuſat. l. ult. verſ. nec impunitam, C. Theod. de accuſat.* 33 Calumniator talioni ταυτοπαθείᾳ ſubjicitur. 6. Harm. 9. §. 3. 34 De pœna talionis ſæpius dixi.

35 Dixi ad *L.* 48. *D.* 19. 36 *l.* 34. *ff. h. t.* Damnati in opus perpetuum, ſimiles ſunt deportatis in inſulam. 37 Adde *l.* 4. *§. ad l. Fab. de plagiar. l.* 1. *§. de pedaneis.* vid. *l.* 3. *§. ubi cauſæ fiſcales.* 38 Adde *l.* 9. *J.* & *l.* 9. §. 11. *l.* 15. *ff. h. t.* adde *l.* 16. *§. de quæſtionibus.* 39 Vid. *l.* 5. §. 2. *l.* 18. *ff. de ſtatu homin. l. ult. ff. de ſent. paſſ.* ſecus, ſi poſt damnationem. *l.* 24. §. 6. *ff. de fideic. lib.* 40 *l.* 9. *J. h. t. l.* 8. *in fin. princ. §. de quæſt. l.* 3. *ff. de veteranis.* 41 Eadem reſtrictio in liberis decurionum non fit, *l.* 9. §. 13. *ff. h. t.* 42 Vel opere metalli, *l.* 3. §. 1. *ff. de re militar.* damnatione ad beſtias, fuſtigatione. *l.* 1. *ff. de veteranis.* oneribus, vel muneribus perſonalibus. *l.* 9. *ſupr. quando provoc.* tormentis, *l.* 8. *§. de quæſtion.*





*De vinculis perpetuis.*

6. Idem A. Alphio.

INcredibile [1] eſt, quod allegas, liberum hominem, ut *vinculis* [2] *perpetuis* contineretur, eſſe damnatum. Hoc enim vix [3] in ſola ſervili conditione procedere poteſt. PP. 3. Id. Febr. MESSALA & SABINO CONSS. 215.

*De ætate.*

7. Imp. ALEXANDER A. Iſidoro.

IMpunitas delicti propter [4] *ætatem* [5] non datur, ſi modo in ea quis ſit, in quam crimen, quod intenditur, cadere poteſt [6].

*De bonis damnatorum.*

8. Idem A. Victori.

D*Eportatorum* [7] in inſulam ab eo, cui id faciendi jus erat, bona fiſco vindicantur: *relegatorum* autem, non [8], niſi [9] ſententia ſpecialiter adempta fuerint.

*De condemnatione in miniſterium metallicorum, vel in opus metalli.*

9. Idem A. Demetrio.

SI matrem tuam *decurionis filiam* [10] fuiſſe probatum fuerit, apparebit eam non oportuiſſe in miniſterium metallicorum, nec in opus metalli dari.

*De vinculis.*

10. Idem A. Catulo.

SErvus ſub pœna *vinculorum* ſine [11] temporis præfinitione domino [12] reddi juſſus ſententia Præſidis provinciæ, perpetuo [13] vinctus eſſe debet.

*De metalli ſupplicio.*

11. Imp. GORDIANUS A. Titiano.

M*Etalli ſupplicium* tam ad perſonas liberas [14], quam etiam ad ſerviles [15] pertinet conditiones.

*De filiis decurionum. 1. De vocibus populi.*

12. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. in Conſiſtorio dixerunt.

D*Ecurionum* [16] *filii* non debent beſtiis ſubjici. §. 1. Cumque a populo exclamatum eſſet, iterum dixerunt: Vanæ [17] voces populi non ſunt audiendæ [18]: nec enim vocibus eorum credi oportet, quando aut noxium crimine abſolvi, aut innocentem condemnari deſiderant.

*De ſervis.*

13. Iidem AA. Viſino.

S*Ervo* ex ſententia damnato, ſi quoquo modo ex ſententia proprietatis jus [19] amputatum non ſit, domino ſuo obſequi eum par eſt.

*De pœna temporali operis publici.*

14. Iidem AA. & CC. Vicario.

SI operis publici temporalis pœnæ ſententia præfinitus nondum *exceſſit dies*, hunc expectari [20] convenit: cum non [21] remitti pœnam facile, publice interſit: ne [22] ad maleficia temere quiſquam proſiliat.

*De pœna non revocanda.*

15. Iidem AA. & CC. Agatho.

POenam ſua dictam ſententia præſidi provinciæ *revocare* non [23] licet.

*De ſententia capitali.*

16. Imp. CONSTANT. A. ad Catulinum Proconſulem Africæ.

QUi [24] ſententiam laturus eſt, temperamentum hoc teneat, ut non [25] prius capitalem in quempiam promat ſeveramque ſententiam, quam in adulterii, vel homicidii, vel maleficii crimine, aut [26] ſua [27] confeſſione, aut certe omnium [28], qui [29] tormentis, vel interrogationibus fuerint dediti, in unum conſpirante [30] concordanteque [31] rei finem, convictus [32] ſit: & ſic in objecto flagitio deprehenſus, ut vix etiam ipſe ea, quæ commiſerit, negare ſufficiat. Dat. 3. Non. Novembr. *Treveris.* Accepta 15. Kalend. Maii, *Hadrumeti*, VOLUSIANO & ANNIANO CONSS. 314.

*In qua corporis parte pœna ſcribi debet.*

17. Idem A. Eumelio.

SI [33] quis in metallum [34] fuerit pro criminum deprehenſorum qualitate damnatus, minime in ejus facie [35] *ſcribatur*: cum & in manibus & in ſuris poſſit pœna damnationis una inſcriptione comprehendi: quo facies [36], quæ ad ſimilitudinem pulchritudinis eſt cœleſtis figurata, minime maculetur. Dat. 12. Kalend. April. *Cabiluno*, CONSTANTINO A. IV. & LICINIO IV. CONSS. 315.

*De condemnatione non differenda.*

18. Imp. CONSTANTIUS A. Theodoro V. P. Præſidi Arabiæ.

CUm [37] reis manifeſta [38] probatione convictis ſpatium temporis ante ſententiam datur, facultas ſupplicandi, [vel quibuſdam malignis artibus, tam præſidum, quam officialium, pœnas evitandi [39]] criminoſiſſimis patet: cum & in homicidii crimine, & in aliis detectis gravioribus cauſis ultio differenda [40] non ſit. Igitur de cætero juxta criminis qualitatem legem oportet ſervari, & in ſceleroſos, & noxios proferri juris ſententiam. Dat. Id. Oct. CONSTANTIO A. IV. & CONSTANTE C. CONSS. 342.

*Ne quis pœnæ cauſa alicui corpori addicatur.*

19. Impp. VALENT. & VALENS AA. ad Olybrium P. U.

NE [41] quis pro coërcitione delicti, vel piſtoribus [42], vel cuicunque alteri *corpori* (cum alterius ſit corporis) *addicatur* [43]: ſed unuſquiſque pro crimine, in quo fuerit deprehenſus, motum congruæ ſeveritatis excipiat. Dat. 3. Id. April. VALENTINIANO & VALENTE AA. CONSS. 365.

*De reſcriptis.*

20. Imppp. GRAT. VALENT. & THEOD. AAA. Flaviano P. P. Illyrici & Italiæ.

SI [44] vindicari in aliquos *ſeverius* contra noſtram conſuetudinem pro cauſæ intuitu juſſerimus, nolumus *ſtatim* eos aut ſubire pœnam, aut excipere ſententiam: ſed [45] per dies triginta [46] ſuper ſtatu eorum ſors, & fortuna *ſuſpenſa* ſit [47]. Reos ſane excipiat vinciatque cuſtodia & excubiis ſolertibus vigilanter obſervet. Dat. 15. Kalend. Septembr. *Veronæ*, ANTONIO & SYAGRIO CONSS. 382.

*De apparitoribus.*

21. Imppp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. ad Principium P. P.

NE [48] diu apparitorum prava [49] admodum venaliſque perfidia impune in publica commoda deſæviat, cenſemus etiam in *abſentes* eos pro competenti ultione debere conſurgi. Dat. Kalend. Jun. ARCAD. A. & BAUTONE CONSS. 385.

*Qui puniendi ſunt.*

22. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Eutychiano P. P.

SAncimus [50], ibi eſſe pœnam, ubi & noxia eſt. Propinquos [51], notos familiares procul a calumnia ſummovemus, quos reos ſceleris ſocietas non facit. Nec enim adfinitas, vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccata igitur ſuos teneant auctores: nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum. Hoc ſingulis quibuſque Judicibus intimetur. Dat. 8. Kalend. Auguſt. *Conſtantinop.* EUTROPIO & THEOD. VV. CC. CONSS. 399.

*De exilio.*

23. Impp. HONOR. & THEOD. AA. ad Anthemium P. P.

OMnes [52], quos damnationis conditio diverſis exiliis [53] deſtinatos, metas temporis præſtituti in carceris impleſſe [54] cuſtodia depre-

1 Officium ſuum quemque facere præſumi, hinc colligunt. 2 Pœna perpetuorum vinculorum liberis hominibus imponi non poteſt. vid. *l.* 35. *ff. h. t.* vid. *l.* 10. *in fin. J. h. t.* 3 Puniuntur mitius liberi, quam ſervi. 4 Harm. 6. §. 3. Goth. *l.* 14. *ff. de Senatuſconſ. Silan. l.* 9. §. 2. *ff. de minorib. l.* 36. *ff. ad l. Jul. de adult.* Anſ. 5 60. *Eclog.* 51. *c.* 44. *l.* 6. *ſupr. ad l. Corn. de ſicar.* 6. Harm. 9. doli capacem ſc. 6 Id eſt, ſi modo ſit proximus pubertati, & ea ſentiat, in quibus deliquit. *d. c.* 44. *l.* 16. §. 3. *in fin. ff. h. t. l.* 23. §. 2. *in fin. ff. de ædilitio. l.* 23. *ff. de furtis. l.* 111. *ff. de reg. jur.* 7 Bona deportati confiſcantur, non relegati. *l.* 97. *ff. de reg. jur.* 8 *l.* 1. *l.* 14. §. 1. *D. de interdict. & relegat.* vide quæ notavi ad *l.* 8. §. 3. *ff. de bonis damnat.* Inde colligunt, non omnes confiſcatos eſſe deportatos, licet omnes deportati ſint confiſcati. vide Cujac. *ad l.* 5. *infr. de conveniend. fiſc.* 9 Vide *l.* 5. *ſupr. h. t. l.* 5. *ſupr. ex quib. cauſ. in fin.* 10 Vide *l.* 12. *J. h. t.* 11 *l.* 23. *ff. h. t.* 12 *l.* 13. *infr. h. t.* 13 *l.* 6. *in fin. ſupr. h. t. l.* 17. §. 19. *ff. de ædilit.* id eſt, in decennium, *l.* 23. *ff. h. t.* adde *l.* 8. *in fin. l.* 34. *ff. h. t.* 14 Non tamen ad veteranos, *l.* 9. §. 11. *ff. h. t.* 15 *l.* 8. §. 12. *ff. h. t.* 16 Adde *l.* 9. §. 11. 12. *ff. h. t. l.* 11. *in fin. §. de quæſtionib. l.* 33. *infr. de decurionibus.* 17 Vanæ voces populi non ſunt audiendæ. 18 Etiam a magiſtratu. *l.* 31. *ff. h. t.* & 1. Harm. 4. *verſ.* οὐ χρὴ τὸν ἄρχοντα. *l.* 3. *ſupr. qui manumittere, l.* 17. *ff. qui & a quibus manum.* 19 *l.* 10. *ſupr. h. t. l.* 8. *J. de ſent. paſſ. l.* 8. *in fin. l.* 34. *ff. h. t. l.* 13. *ff. de ſtatu hom.* 20 *d. l.* 34. 21 Pœnas facile non remitti, reip. intereſt. 22 *l.* 51. §. 2. *verſ. quod ſi quis. ff. ad l. Aquil.* propter exemplum. dixi ad *l.* 8. §. 3. *in fin. ſupr. de hæret.* 23 *l.* 1. *ſupr. ſent. reſc. non poſſ. l.* 3. *ſupr. de ſent. ex peric. l.* 14. *ff. de re jud. l.* 27. *ff. de pœn.* Auguſt. *lib. de fato: Judicibus*, inquit, *non licet ſuam ſententiam in reum datam revocare vel mutare:* imo licet, ut & pœnam remittere. *l.* 6. §. 9. *ff. de offic. præſid. l.* 2. §. 1. *ff. ſi quis in jus vocat.* 24 *l.* 1. *C. Th. h. t.* 25 Capitalis ſententia in reum prius non fertur, quam ſit is confeſſus vel convictus. adde *l.* 11. *ff. h. t.* alias de ſuſpicionibus non judicatur. Accuſatore non probante reus abſolvendus, *l. qui accuſare.* 4. *ſupr. de edend.* non probat autem accuſator, qui duos tantum teſtes habet omni exceptione non majores, veluti (ſi fides habenda eſt quibuſdam) ſi laicus teſtis deponit adverſus clericum: vel teſtis ſit de auditu tantum alieno. vide Marſil. *conſ.* 41. Goth. Adde Boſſium *tit. de convictis.* & Gramm. *deciſ.* 8. *n.* 4. & *deciſ.* 34. *n.* 35. & *ſeq.* & *n.* 57. *ac* 60. Mod. 26 In convictum reum, ſive torqueri poſſit, ſive non poſſit, pro modo admiſſi ſceleris ſtatuendum eſt. Paul. 5. *ſent.* 16. §. 13. 27 Quid ſi perire velit? non auditur. *l.* 3. §. 2. *ff. de liberali cauſ. l.* 6. *in fin. ff. de appellat.* 28 Teſtium conſpirante in unum confeſſione quis convincitur. adde *l.* 15. *ff. de quæſtion. l. ult. ſupr. de probat.* Convictus ita damnari poteſt, licet confeſſus non ſit. 29 Quidam hunc locum accipiunt de decurione, a quo tormentis confeſſio non eſt elicienda. vide Cujac. *apud Paul. dict.* §. 13. 30 Conſpirantem concordantemque rei finem. *d. l.* 1. conſpirantes concordanteſque. 31 At enim hoc poſſe fieri, non videtur: quod teſtes unanimes ſubornati præſumantur. v. *l.* 3. §. 1. *ff. de teſtib.* 32 Non tantum confeſſus, ſed convictus punitur. *l.* 18. *infr. h. t.* vide Papon. 24. *Arreſt.* 9. *artic.* 1. Paul. 5. *ſent.* 16. §. 13. 33 *l.* 2. *C. Theod. h. t.* 60. *Ecl.* 54. περὶ μεταλλιζομένων. *c.* 52. 34 In ludum vel metallum, *d. l.* 2.

35 De inſcriptionibus frontis, manuum, ſurarum, vide quæ alias retuli ad *l.* 13. *ff. de teſt. l.* 1. *in fin. ff. de fugit.* Ulp. 1. §. 11. adde Boëthium *lib. de conſolatione.* Cic. *pro Roſcio Amerino*, Senec. 3. *de Ira*, Cujac. 7. *obſ.* 13. 36 Facies ad ſimilitudinem pulchritudinis cœleſtis: ſic alibi caput, id eſt, unde cujuſque imago cognoſcitur, *l.* 44. *ff. de relig.* Creſcit enim injuria, ſi quis in facie aut mala percutiatur. *l.* 16. §. 6. *ff. de pœnis.* 37 *l.* 4. *Cod. Theod. h. t.* 38 Vide *l.* 16. *in fin. ſupr. h. t.* 39 Ratio decidendi: eſt & alia ratio in *l.* 15. *ſupr. h. t.* 40 In gravioribus cauſis ultio non eſt differenda. *l. pen. §. de cuſtod. l.* 6. *l.* 9. *ff. de injuſto, rupt. & irrit. l.* 16. *in fin. ff. ad l. Corn. de ſicar.* etiamſi reus dicat, ſe habere, quæ principi referat, ſalutis ipſius cauſa. *l.* 6. *ff. h. t.* differtur tamen in prægnante muliere. *l.* 3. *ff. h. t.* & ſervo, qui rationes geſſerit domini. *l.* 1. *infr. de bon. proſcr.* Imo cauſa cognita ſemper differri poteſt, vide *l.* 20. *J. h. t.* Imo non ſemper, cum *d.* legis 20. caſus ſit ſpecialis. 41 *l.* 3. *C. Theod. h. t. l.* 38. *J. de decurion.* 42 *d. l.* 3. *l.* 5. 6. *J. de piſtor.* vide *l. ult. ff. de excuſ. tut.* 43 Vide quæ dixi ad *Nov.* 5. Imo negotiatione alicui interdici poteſt, *l.* 9. §. 10. *ff. h. t.* 44 *l.* 13. *Cod. Theod. h. t.* Goth. Rationem hujus legis vide apud Duaren. *de Succ. Eccleſ. miniſter. cap.* 2. *in fin.* Anſ. Adde Menoch. *de arbitr. jud. lib.* 2. *cent.* 4. *caſ.* 334. *num.* 6. Boſſ. *tit. de homicidio. num.* 11. Cujac. *ib.* 5. *obſerv.* 9. S. L. 45 Hujus conſtitutionis ſuaſor fuit D. Ambroſius 7. *Sozom.* a Sidonio Apollinari 2. *epiſt.* 11. tribuitur SC. Tiberiano, *Ex vetere*, inquit, *SC. Tiberiano* 30. *die vitam poſt ſententiam trahit.* Idem refert Tacitus 3. Sueton. *in Tiberio c.* 75. In eo tantum diſſimiles, quod x. tantum dierum mentionem faciunt, & haud dubie ſanctiſſima eſt conſtitutio; nam talis dilatio poteſt Principis iram mollire atque temperare, ſicut & de ipſo Theodoſio ſcribit Aurelius Victor, *ab eo ſevere præcepta, modica dilatione emolliebantur.* Superioribus convenit illud Senecæ in Agamemnone, *Da tempus ac ſpatium tibi: Quod ratio nequit, forte ſanabit mora.* Hanc conſtitutionem revocavit Nicephorus Botoniates περὶ τοῦ μὴ ἐντεῦθεν τῶν λ ἡμερῶν γίνεσθαι σωματικὴν ποινήν. Euſtathius μετὰ λ ἡμερῶν ἡ ὀργὴ τοῦ βασιλέως ἀνύεται. Scio multis profuiſſe, ab hinc decennio, noſtræ conſtitutionis rationem ſuggeſtam cuidam Principi a nobiliſſimo quodam Heroë, quem nunc, etſi meritiſſimum, nominare tamen non velim. adde Cujacium 5. *obſ.* 9. & 20. *obſ.* 32. 46 Damnato a Principe irato, dantur juſti dies triginta. 47 Vide *l.* 2. *ſupr. de ſentent. ex periculo:* Imo ſuſpendi non debet. *l.* 18. *ſupr. h. t.* non eſt differenda, ſi ab ipſo judice ſententia lata ſit. Alioquin ſententia revocari poterit. *l.* 15. *§. h. t.* differenda eſt: ſi ab ipſo principe, quia adhibita modica dilatione ſæpius fit, ut flectatur. 48 *l.* 14. *C. Th. h. t.* 49 Alias particiſſime apparitoribus præſidum jus dicitur. *l.* 16. *ff. de offic. præſid.* 50 *l.* 18. *C. Th. h. t.* vide *l.* 2. §. 7. *ff. de decurionibus. l.* 74. *ff. de reg. juris, cap.* 22. 23. *de reg. in* 6. *l.* 24. *ſupr. de donation. inter virum.* 51 Bonorum Imperatorum conſtitutio hæc eſt: alioquin ſub malis, ne quidem propinqui & familiares ſatis tuti ſunt. vide *Nov.* 52. *in pr. Nov.* 128. *c.* 12. *Nov.* 135. *c.* 4. 52 *l.* 22. *C. Th. h. t.* 53 Tempus exilii temporalis currit reo in carcere agenti. facit *l.* 25. *ff. h. t.* Carcer pro exilio cedit. Pœna exilii quis liberatur ob carceris diuturnitatem. vide Tiraquell. *tract. de pœnis, cauſa* 41. 54 *l.* 24. *infr. h. t.* vide *l.* 8. *ff. de poſtuland.* vide Papon. 24. *Arreſt.* 9. *Arreſt.* 1. 3.

henderit, ſolutos pœna vinculisque laxatos, cuſtodia [liberari] præcipimus, nec formidare miſerias ullas exilii. Sit [1] ſatis immenſorum cruciatuum ſemel [2] luiſſe ſupplicia, ne [hi] qui [3] diu privati ſunt auræ [4] communis hauſtu, & lucis [5] aſpectu, intra breve ſpatium catenarum ponderibus prægravati, etiam exilii pœnam ſuſtinere iterum compellantur. Dat. 14. Kal. Maji, CONSTANTIO & CONSTANTE VV. CC. CONSS. 414.

*Ille, qui ſtetit in exilio, quantum debuit, non debet incarcerari poſtea.* Bald.

24. Iidem AA. Monaxio P. P.

REctores [6] provinciarum conveniri præcipimus, ut hi, qui ſuo crimine pœnam exilii ſub certo temporis ſpatio ſubire decreti ſunt, exacto præfinito tempore, nec clauſtris carceralibus, nec in locis, quibus exules verſati ſunt, teneantur. Dat. 3. Kal. Sept. *Eudoxiopoli*, D. N. THEODOSIO A. VII. & PALLADIO V. C. CONSS. 416.

*De his, qui conficiendi naves peritiam Barbaris tradiderint.*

25. Iidem AA. Monaxio P. P.

HIs qui conficiendi naves [7] incognitam ante peritiam Barbaris tradiderint, capitale judicium proponi decernimus. Dat. 8. Kalend. Octobr. *Conſtant.* MONAXIO & PLINTA CONSS. 419.

*De exilio perpetuo vel temporali.*

26. Conſtitutionis argumentum, quæ lingua Græca primum fuerat edita, *ex lib.* 60. *Baſil. tit.* 51. *cap. ult.* Jacobo Cujacio [8] interprete.

COnſtitutio jubet, ut ne miſſi in exilium, eis locis, in quæ miſſi ſunt, degant in cuſtodia, & ut ne quis relegetur in propugnaculum Gypſi [9], vel alia præſidia: ſed ſi quidem morte dignum ſit crimen, huic pœnæ ſubjiciatur: ſi exilio perpetuo vel temporario, tum in exilium mittatur: ita tamen, ut non jubeatur eſſe in cuſtodia eis locis in quæ mittitur: ſed in provinciam eat, quam judex ſtatuerit, citra civitates & provincias inferius exceptas, cum poteſtate verſandi in tota provincia, qua tamen exire nequeat, nec manens in ea quicquam ſeditioſe, & inciviliter agere, niſi velit ultimo ſupplicio adfici a præſide provinciæ, vel a præſide illorum locorum in quibus exulat. §. 1. Et conjecti in carcerem, ut in Regia urbe, in eo non ſint ſupra [10] conſtitutum jam tempus in ſuperiori titulo *de cuſtodiis*, & ſimili modo in provinciis: ut compendio criminum cauſæ finiantur: & reus, ſi dignus exilio, damnetur, non in cuſtodiam, ſed in provinciam quæ non ſit ex prohibitis, ea lege ut ultimo ſupplicio adficiatur, ſi provincia exceſſerit, vel ibi inciviliter quid admiſerit. §. 2. Magiſtratus [11] autem Alexandriæ & Thebaidos ſolos jubet in Gypſum, & in Oaſin [12] mittere, vel in ſex menſes, vel ad ſummum in annum. Quod ſi perpetuum ſit exilium, neque in Gypſum mittere, neque in Oaſin, neque in cuſtodiam alterius provinciæ, ſed ut dictum eſt, in provinciam integram ea conditione, ut ſi quid deliquerint, vel ſi exceſſerint juſſa præſidum qui miſerunt, ultimo ſupplicio adficiantur. §. 3. Jubet autem officiales cujusque judicii, hujus legis commonefacere præſides: nec quemquam detinere ultra relegationis tempus, ſed ſtatim dimittere ſine damno & mora, & eum quicquid auſus fuerit accipere, quadruplum reddere. §. 4. Prohibentur vero præſides relegare in provincias & civitates conſtitutioni ſubjectas [13].

## TIT. XLVIII.

## NE [14] SINE JUSSU PRINCIPIS CERTIS JUDICIBUS LICEAT CONFISCARE.

*Judices merum imperium non habentes, non poſſunt ſuo officio præter legem exercendo bona confiſcare.* Salic.

1. Impp. THEOD. A. & VALENT. C. ad Hierium P.P.

NUlli [15] Judicum liceat (exceptis, qui in ſumma [16] adminiſtrationis ſunt poſiti poteſtate) proſcriptionis tempeſtate totius [17] ſubſtantiæ aliquem percellere, niſi ad noſtras aures hoc ipſum referatur. Dat. 10. Kal. Febr. *Conſtantinop.* THEOD. A. XI. & VALENT. C. CONSS. 425.

## TIT. XLIX.

## DE [18] BONIS PROSCRIPTORUM, SEU DAMNATORUM.

*De peculio ſervi damnati.*

1. Imp. ANTONINUS A. Marco.

SErvorum capitis crimine damnatorum peculia dominis non auferri notum eſt: ſed quod ſervum dominus habuiſſe probaverit, recipiet, pretiumque rerum, ſi quæ ab eo diſtractæ ſunt. Ipſius [19] quoque præſentiæ poteſtas ei dabitur, quoad rationes per eum adminiſtratæ reddantur, ac diſponantur [20]. Sed meminiſſe dominum oportebit inſtare, ut id velocius fiat, ut pœnæ ſuæ reddi poſſit.

*De rebus poſt deportationem acquiſitis.*

2. Imp. ALEXAND. A. Frontoni.

DEportati, nec earum quidem rerum, quas poſt [21] pœnam irrogatam habuerint, heredem habere poſſunt; ſed & hæ publicabuntur [22].

*De peculio filiifamilias damnati.*

3. Idem A. Juliano.

SI filius tuus, cum eſſet in [tua] poteſtate, in inſulam deportari meruit, peculium ejus, nec quod in caſtris [23] acquiſivit, vel quod ei militaturo donaſti, auferri tibi debet. PP. 6. Id. Septembr. ALEXAND. II. & MARCELLO CONSS. 227.

*De damnatis in metallum, & reſtitutis.*

4. Imp. GORDIANUS A. Callimorpho.

IN metallum damnatus pœnæ [24] ſervus efficitur: & ideo ejusmodi ſententiam paſſi bona vindicantur [25] rationibus fiſci. Quare ſi [26] quid rerum habuit is, quem poſtea noſtra indulgentia liberum eſſe proponis, ad jus fiſci potius, quam ad ipſius dominium pertinet.

*De tutore.*

5. Imp. PHILIPPUS A. Arriano.

SI (ut proponis) bona ejus, qui tutelam tuam adminiſtravit, ſententiam paſſi ad fiſcum ſunt devoluta: Procuratorem noſtrum adire [27] cura, qui ſi quid jure poſci animadverterit, non negabit.

*De filiis deportatæ.*

6. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Gaudentio.

DE bonis matris deportatæ filiis [28] nihil [29] deberi, juris abſolutiſſimi eſt.

*De bonis deportati deſcribendis, & ad Principem referendis.*

7. Imppp. VALENT. VALENS. & GRAT. AAA. ad Probum P.P.

SI quis [30] intra provinciam pro qualitate delicti ſtylum proſcriptionis incurrerit, per ordinarii Officii ſollicitudinem bonorum ejus indago [31] diligentiſſime celebretur: ne quid rei privatæ commodis per gratiam atque colludium furto ſubducatur: & plena deſcriptio comprehendat, quod ſpatium, & quod ſit ruris ingenium [32], quid aut incultum ſit, aut colatur, quid in vineis, olivetis, aratoriis, paſcuis, ſylvis fuerit inventum: quæ etiam gratia, & quæ amœnitas ſit locorum, quis [in] ædificiis ac poſſeſſionibus [ſit] ornatus: quotve mancipia in prædiis occupatis, vel urbana, vel ruſtica, vel quarum artium generibus imbuta teneantur: quot ſint cenſuarii, vel coloni, quot boum exercitiis terrarum atque vomeribus inſtrumentum: quot pecorum & armentorum greges, & in qua diverſitate numerati ſint: quantum auri & argenti, & veſtium ac monilium, vel in ſpecie, vel in pondere, & in quibus ſpeciebus, quidve in apothecis ſit repertum: Tunc demum omnia [ea] quæ velle nos perſpicis, inquiſitione conſtricta Rationalis rei privatæ tradantur officio, aut Palatinis ſuper hac cauſa miſſis, noſtro nectenda patrimonio. Mox vero ad nos ſub literis publici Judicis ſigillatim de omnibus nominatimque referatur, proculdubio negligentia multanda. Nam ſi quid poſt factam a prædicto officio inveſtigationem, Rationalis rei privatæ, cui inquiſitio ſecunda mandata eſt, amplius forſitan invenerit, Officium fraudulentum ea condemnatione feriatur, ut aliud tantum, quantum [fuerat] ſubtractum, ex propriis facultatibus inferat. Dat. 3. Non. Maji, *Treveris*, VALENTINIANO NB. P. & VICTORE CONSS. 369.

*De liberis damnatorum.*

8. Imppp. GRATIAN. VALENT. & THEOD. AAA. Eutropio P.P.

SI [33] deportatus ſuos [34], & emancipatos filios habuerit: pars [35], quæ ex bonis ejus habentis conceſſa eſt, ad eos tantum, qui in poteſtate erant, transfertur: ſi emancipati [36] ea, quæ conſecuti erant emancipationis tempore, damno ſuo exiſtimant conferenda. Sin autem confuſionem bonorum, & donationis elegerint: ea omnia, quæ fiſcus [liberis damnati] concedit, æque diviſionis partibus ſortiantur. † Quæ regula etiam in dote filiæ, vel neptis ex filio deportati conferenda, cuſtodienda erit. Dat. 15. Kalend. Jul. *Theſſalon.* GRATIANO V. & THEOD. I. AA. CONSS. 380.

*De viro & uxore. 1. De donatis filiis emancipatis ante reatum patris. 2. Quibus fiſcus præfertur.*

9. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Cæſario P.P.

SI [37] quis poſthac ſtylum (quod abſit) proſcriptionis exceperit: uxor [38] ejus res proprias ex quocunque titulo ſibi quæſitas veluti

1 Humana ſententia, *l.* 33. §. 2. *C. de epiſc. & cleric. l.* 28. *in fin. ſupr. de epiſc. aud. l.* 4. §. 2. *ff. de lege Rhod.* 2 Semel puniri ſufficit. 3 Carcere qui detinentur, auræ communis hauſtu & lucis aſpectu privati intelliguntur. 4 Aëris, lucisque aſpectus, communis omnium eſt: ut mirum ſit, Michaëlem Paphlagonem aëris hauriendi facultatem ſubditis vendidiſſe: & in eam rem vectigal indixiſſe, quod ab eo ſcelere ἀερικὸν appellatur Cedreno & Procopio, ut notavi in Nomenclatore ad Harm. 1. *tit.* 4. §. 47. 5 Lucis aſpectus cuique natura communis eſt. Eſt vero Philoſophis lux qualitas, quæ in lucido corpore videri poteſt: lumen vero a luce eſt actus perſpicui. Licet autem mortalia ſint omnia, lucem tamen perpetuam fore, Julius Cæſar Scaliger alicubi defendi poſſe, exiſtimat. 6 *l.* 23. *ſupr. h. t. l.* 23. *Cod. Theod. h. t.* 7 Naves ante ignotas, qui barbaros fabricari docet, capitali pœnæ ſubjicitur. *l. ult. Cod. Theod.* 60. *Ecl.* 36. *ex tit.* 51. *cap.* 52. 6. facit *l.* 2. *C. quæ res exportari.* 8 Quem vide 6. *obſ.* 36. *in fin.* 8. *obſ.* 27. 20. *obſ.* 31. 9 De Gypſo vide §. 2. *J. h. t. Novell.* 22. *cap.* 8. *Novell.* 142. *cap.* 1. 10 *l.* 41. *C. h. t.* 11 Id eſt, juridicus. 12 *Oaſis* infeſta culicibus & muſcis grandioribus. Non fuit tamen inſula, vide *l.* 7. §. 5. *ff. de interd. & releg.* ideoque in Oaſin relegatio nuncupatur, quaſi in inſulam relegatio a Nazianzeno dicitur ἀπάνθρωπος ἐρημία. 13 §. 1. *ſupr. h. t.*

14 *l.* 9. *C. Theod.* 41. & 60. *Ecl.* 52. *ex tit.* 47. 15 *l. un. C. Theod.* 16 Ut ſunt præfecti prætorio, vicarii, præfecti urbi: non præſides. 17 Bonorum omnium publicatio, principe inconſulto, ſummis tantum judicibus permiſſa.

18 *l.* 9. *C. Th.* 42. dixi ad *l.* 48. *D.* 20. & 60. *Ecl.* 52. Hodie bonorum confiſcatio certis tantum caſibus locum habet. *Novell.* 17. *c.* 12. *Nov.* 134. *cap. ult. verſ. Ut autem.* adde Gandinum *de maleficiis. Rubrica de bonis malefactorum.* 19 Pœna mortis variis ex cauſis differri poteſt: veluti ſi a reo petatur rationum redditio, *ut hic*, ſi de crimine graviore accuſabitur, *l.* 1. *in fin. ff. nihil innovari:* ſi appellet, *l.* 20. *C. de appellat.* (qua in ſpecie exiſtimant reum, ſi forte neglecta ejus appellatione ad ſupplicium ductus fuerit, impune manibus officialium eximi poſſe. Bald. Angel. *in l.* 29. *C. de appell.* Aretin. §. *pen. Inſt. de act.*) niſi reus, quo de agitur, manifeſtarius ſit: ſi princeps pœnam ſolito duriorem imponi juſſerit: tunc enim expectandi triginta dies. *l. ſi vindicari.* 20. *C. de pœnis:* ſi morti ſententia judicis addictus decurio, vel conſiliarius civitatis ſit: (Tunc enim expectandum ſuperioris eſt reſcriptum. *l.* 6. §. 7. *ff. de injuſto. l.* 16. *in fin. ff. ad l. Corn. de ſicar. l.* 27. §. 1. *ff. de pœn. l.* 2. §. 1. *ff. de bonis eor. qui mortem ſibi conſciverunt. l.* 1. *verſ. ſimili modo. ff. quando appellandum ſit.*) ſi populi tumultus aliter ſedari non poſſit. *Gloſſ. in dict. verſ. ſimili modo.* ſi mulier prægnans ſit damnata. Tunc enim expectandum id tempus, quo pariat. *l.* 3. *ff. de pœnis.* 20 *Diſpungantur*, a quibusdam ita legi monet Accurſ. eaque lectio probatur a Cujacio *hic*, & in Baſilicis καθαροποιηθῇ. 21 *l.* 7. §. 5. *ff. h. t.* vide Cujac. 6. *obſ.* 23. 22 Imo non ſequitur fiſcum. *l.* 22. §. 5. *ff. mandat.* 23 Caſtrenſia filiorum non confiſcantur. 24 Hodie pœnæ ſervus nemo efficitur. *Nov.* 22. *c.* 8. 25 *l.* 1. *ff. de bon. damn. l.* 3. *ff. de interdict.* 26 *l.* 3. *ff. de ſent. paſſ.* 27 Et ita fiſcus heredis loco habetur. dixi ad *l.* 128. *ff. de reg. jur.* 28 *l. ult. J. h. t.* 29 Vide *Nov.* 17. *cap.* 12. *Nov.* 134. *cap. ult.* 30 *l.* 7. *C. Th. hoc tit.* 31 De inventario bonorum damnati faciendo, *l.* 3. *J. de bon. vac.* & de incorporatione, *l.* 2. *J. de aquæduct.* Huic conſtitutioni confer *l.* 4. *ff. de cenſib. Nov.* 1. *c.* 2. *l.* 22. §. 2. *C. de jure delib.* 32 Ingenium ruris eſt ejus natura & conditio, bonitas, ſterilitas. Ager diffuſus in ſylvis: pictus in pratis: pecoroſus in paſcuis: peculioſus in paſtoribus. Sidon. 3. *epiſt.* 2. 33 *l.* 8. *C. Theod. h. t.* 34 Sui, qui in poteſtate: emancipati, extra poteſtatem. 35 Damnati patris bona quædam, hoc eſt, pro parte, ejus liberis addicuntur. 36 Vide *l.* 2. *l. ult. C. de emancip. l.* 17. *in fin. C. de collat. Nov. Leon.* 25. 37 Interpolata eſt hæc conſtitutio ex *l.* 5. *Cod. Theod. h. t.* 38 Publicatis bonis viri, res uxoris non occupantur, *ut hic*, 60. *Ecl.* 52. *c.* 14. *Nov.* 134. *in fin.* vide ad hunc locum Gandin. *tract. de malefic. rubr. de bon. malefactorum.*





manu [1] injecta mox vindicet, aut certe quoquo modo occupatas ſtatim recipiat. Dos [2] etiam, non quæ aliquoties inaniter [3] dotalium inſtrumentorum tenore conſcribitur, ſed quam ſe corporaliter [4] tradidiſſe docuerit, repræſentetur. Ea etiam quæ ab innoxio adhuc marito ante [5] nuptias titulo donationis acceperit, vel durante matrimonio largitione viri ad eam ante proſcriptionem pervenerint, apud eam firmiter permaneant. §. 1. Si quid etiam in emancipatos liberos ante tempus criminis ac reatus patrem contuliſſe [6] claruerit, integrum iisdem citra inquietudinem reſervetur. Quod [7] vero nec uxor, nec emancipati liberi potuerint vindicare; captum a publicis perſonis ita ad me referri ſpecialiter cenſeo, ut illud quoque addatur, utrum filios habeat qui damnatus eſt: ſimulque adjiciatur, utrum iidem apud ſe ex cauſa donationis aliquid vindicaverint. §. 2. Sed [8] in his, qui fiſcalibus actibus nexi ſunt, & pro ratiociniis proſcribuntur, & condemnantur: placuit ſi quid proprium uxor habuerit, vel a marito datum ante initium actus, ex quo origo fraudis ac vitii in judicium deducta eſt, ſi quid deinde in emancipatos filios donatione collatum eſt, antequam crimen oriatur, intemeratum apud accipientium jura perſiſtere: nec quicquam fiſco in qualibet cauſa teneatur obnoxium, niſi quod in dominio proprio cum obligari cœpit, habuerit: vel quod agens tam ſuo, quam uxoris ſuæ, vel filiorum, vel cujuscunque præterea nomine comparaverit: exceptis duntaxat Cæſarianis, vel Catholicianis [9], qui ab omni juris beneficio excluduntur, niſi probata a me purgataque [10] ratiocinia fuerint, ut quod innoxie habuerint, transmittendi copiam habeant. Dat. 3. Non. Aug. *Conſtantinop.* ARCAD. IV. & HONOR. III. AA. CONSS. 396.

*Si condemnatus liberos habeat, vel non habeat.*

10. Impp. THEODOS. & VALENT. AA. Hierio P. P.

QUando [11] quis quolibet crimine damnatus capitalem pœnam deportationemve ſuſtineat: ſi quidem ſine liberis mortuus ſit, bona ejus ad fiſcum perveniant. Si vero filii, vel filiæ, vel nepotes ex defunctis filiis relicti erunt, dimidia [12] parte ærario vindicata, alia eis reſervetur. Idem eſt & ſi poſthumos dereliquerit. † Decurioni vero, qui hoc incurrit, ſi liberos non habeat, ſuccedat Curia, bonaque univerſa detineat aut ipſa per ſe, aut ſuo ordinatura periculo munera ſubiturum. † Sin [autem] erit ſoboles Curiali: & ſi ea necdum procreata eſt, integris patris fortunis fulciatur. Si filia vel filiæ fuerint, pars dimidia ad eas devolvatur facultatum, altera dimidia ad Curiam. Sin [autem] mares Curiales fuerint intermixti, dimidia pars eis Curiæ nomine deferatur: & alia quam in commune omnibus tribuit indulgentia principalis, pro virili dividatur portione: excepta ſola majeſtatis [13] quæſtione: quam ſi quis ſacrilego animo adſumpſerit, juſte pœnam ad ſuos etiam poſteros transmittet. Dat. 10. Kal. Febr. *Conſtantinop.* D. N. THEODOS. XII. & VALENTINIANO II. AA. CONSS. 426.

*De bonis fiſco deferendis.*

11. Αὐτοκράτωρ * Græca conſtitutio.

*Sententia l. ult. Cod. de bonis proſcriptorum*, lib. 9. Cod. tit. 49. *Ex Euſtathio.*

Περὶ χρονικῶν διαστημάτων.

QUicunque [14] habent, vel detinent bona damnati perduellionis, in Regia quidem urbe intra duos menſes: in provincia vero intra octo menſes debent ea fiſco deferre. Alioquin enim una cum ipſis bonis quadruplum inſuper præſtabunt.

*Ejusdem conſtitutionis epitome integrior ex* lib. 60. Eclog. tit. 52. cap. 15.

SI [15] quis perduellionis crimine convictus, publicationem bonorum ſuſtineat, ii, qui bona ejus habent, ſi verſantur in Regia Urbe, intra duos menſes, ſi non verſantur in urbe Regia, intra octo menſes ea deferre debent. Quod ſi non fecerint, cum bonis quadruplum præſtant.

In AUTHENT. ut nulli Jud. §. fin. col. 9. tit. 17. al. 9. Novell. 134. cap. ult.

BOna *damnatorum* [16] *ſeu proſcriptorum non fiunt lucro Judicibus, aut eorum Officiis: neque ſecundum veteres leges fiſco applicantur, ſed aſcendentibus & deſcendentibus, & ex latere usque ad tertium gradum, ſi ſuperſint. Uxores vero eorum dotem & ante nuptias donationem accipiant. Si vero ſine dote ſint, de ſubſtantia mariti accipiant partem legibus definitam: ſive filios habeant, ſive non. Sed ſi neminem prædictorum habent, qui deliquerunt, eorum bona fiſco ſocientur.* † *In majeſtatis vero crimine condemnatis veteres leges ſervari jubemus.*

## TIT. L.

## DE BONIS EORUM, QUI MORTEM [17] SIBI CONSCIVERUNT.

*Ubi quis mortem ſibi conſcivit ob criminis publici conſcientiam, bona ejus publicantur.*

1. Imp. ANTONINUS A. Aquiliæ.

EOrum demum bona fiſco vindicantur, qui conſcientia delati, admiſſique criminis, metuque futuræ ſententiæ, manus ſibi intulerunt. Ea propter fratrem, vel patrem tuum, ſi nullo delato crimine, dolore aliquo corporis, aut tædio vitæ, aut furore, vel inſania [18], aut aliquo caſu ſuſpendio vitam finiſſe conſtiterit, bona eorum, tam ex teſtamento, quam ab inteſtato ad ſucceſſores pertinebunt. PP. 12. Kalend. Jun. DUOBUS & ASPRIS CONSS. 213.

2. Imp. ALEXANDER A. Ruſtico.

EOrum, qui in [19] reatu diem ſuum functi ſunt, ſi non perduellionis [20] cauſam ſuſtinuerunt, nec ob metum criminis [21] mortem ſibi conſciverunt, bona ad ſucceſſores transmittuntur. Dat. Idib. Maji, ALEXAND. A. iterum, & MARCELLO A. CONSS. 227.

## TIT. LI.

## DE [22] SENTENTIAM PASSIS, ET RESTITUTIS [23].

*Quid ſit in integrum reſtituere.*

1. Imp. ANTON. A.

CUm [24] ſalutatus eſſet a Gentiano [25], & Advento, & Opilio Macrino [26], Præfectis prætorio, Clariſſimis viris: item Amicis, & Principalibus [27] officiorum, & utriusque Ordinis [28] viris, & proceſſiſſet, oblatus [29] eſt ei Julianus Licinianus, ab Opilio [30] Ulpiano tunc Legato in inſulam deportatus: tunc Antoninus Auguſtus dixit: *Reſtituo* [31] *te in integrum provinciæ* [32] *tuæ*, & adjecit: *Ut autem ſcias, quid* [33] *ſit in integrum reſtituere, honoribus, & ordini tuo, & omnibus cæteris te* [34] *reſtituo.*

*De bonis.*

2. Idem A. Quieto.

CUm patrem tuum in metallum damnatum fuiſſe proponas, ejus quidem bona merito a fiſco occupata ſunt: nec ideo quod ex indulgentia [35] mea *pœna tantummodo metalli liberatus eſſet*, etiam [36] bonorum reſtitutionem impetravit: niſi [37] ſpeciale beneficium ſuper hoc fuerit impetratum.

*De ære alieno.*

3. Imp. ALEXANDER A. Stratonico.

SI debitor pœnam ſententiæ paſſus eſt, quam bonorum ademptio ſecuta eſt: quamvis poſtea *civitati Romanæ reſtitutus*, non totam ſubſtantiam, ſed aliquid [38] ex indulgentia Principis ut haberet, impetravit, æris tamen alieni ex præcedente tempore pœna liberatus eſt. Si vero partem bonorum accepit, pro rata portione ejus tenetur [39]. Quod ſi ob pecuniam debitam fiſco bona ejus occupata ſunt, manſit una cum [ſuis] fidejuſſoribus propriis creditoribus obligatus.

*De tutelæ actione.*

4. Idem A. Valentinæ.

TUtor filiorum [tuorum,] quorum te bonorum poſſeſſionem accepiſſe dicis, in [40] metallum damnatus, & poſtea ex indulgentia generali regreſſus [41], quamquam locupletior [42] ſit, actione tutelæ adminiſtratæ tibi non tenetur, ſi non ex gratia ſententiæ facta, ſpecialiter ſtatum priſtinum cum bonis omnibus recuperaverit.

*De actionibus.*

5. Idem A. Juliano.

SI ademptis bonis in inſulam deportatus ſis, quamvis ex indulgentia communi rediiſti [43], actiones [44] tamen, quascunque habuiſti, remanent in cauſa bonorum publicatorum: nec ex ordine eſt, quod petis, ut contra heredes tutorum actiones tibi præſtentur.

*De patria poteſtate.*

6. Imp. GORDIANUS A. Fabiano P. P.

IN inſulam deportato filio [45], hacque ratione vinculo paternæ poteſtatis exempto: ſi poſtea ex indulgentia D. Alexandri (ut proponis)

1 Manu injecta vindicare. 2 De dote. 3 Vide *l.* 1. *C. de dote cauta.* 4 Corporaliter tradere, i. e. reipſa. Confeſſio dotis receptæ fiſco non nocet: ſi tamen fiſcus intra tempora propoſuerit exceptiones non numeratæ pecuniæ. Tiraquell. *de retract. gentil.* §. 1. *gl.* 18. *num.* 91. adde Roland. a Valle 1. *conſ.* 31. *n.* 43. 5 De donatione ante nuptias, *d. l.* 1. *verſ. & donatio*, *l.* 31. *in fin. ff. de donat.* 6 De donatione facta emancipatis liberis. *d. l.* 9. §. 2. *verſ. ſi quid etiam in emancipatos.* 7 *d. l.* 9. §. 1. *verſ. quod vero.* 8 *d. l. verſ. ſed in his. l.* 1. *J. de jur. fiſc. l.* 4. *C. de privil. fiſci.* 9 Officiales ſunt procuratores Cæſaris. 10 *Putata*, *ut in l.* 31. §. 3. *ff. de negot.* vide Cujac. 11. *obſ.* 9. 11 *l. ult. C. Theod.* 12 *l.* 7. *ff. h. t.* Hodie id immutatum *Nov.* 17. *c.* 12. & 134. *cap. ult.* niſi ſit crimen majeſtatis. *J. hic.* 13 *l.* 5. *C. ad l. Jul. majeſt.* 14 Interpretatio Cujacii. 15 Interpretatio Leunclavii. 16 Conciliationem hujus auth. cum *Nov.* 17. *c.* 12. & cum *Nov.* 134. item cum *auth. inceſtas. Cod. de inceſt. & inutilib. nupt.* vide apud Rittershuſ. in *expoſit. Novell. part.* 4. *num.* 35. & omnino *part.* 13. *cap.* 4. Anſ.

17 Dixi ad *L.* 48. *D.* 21. adde *l.* 12. *C. de accuſ. l.* 2. *C. qui teſt.* Goth. Adde Placam *lib.* 1. *miſcellan. criminal. c.* 23. Mod. 18 Dixi ad *l.* 3. §. 4. *ff. h. t.* 19 *d. l.* 3. §. 1. *l.* 10. *J. de jur. fiſci.* vid. *l.* 45. §. 1. *ff. de jure fiſci.* Goth. Vide Leonin. *emendat. lib.* 3. *c.* 12. *n.* 15. Anſ. 20 Id eſt, majeſtatis. 21 Hujus legis praxin vide *cenſur. forenſ. noſtr. lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 14. S. L.

22 *L.* 9. *C. Theod.* 43. dixi ad *L.* 48. *D.* 23. & 6. *Ecl.* 3. Goth. Vide Boſſium *de remediis ex ſola ſententia Principis fol.* 331. Mod. 23 De hoc reſtitutionis genere vide Sfortiam Oddum *tractatu de reſtitutionibus*, *quæſt.* 94. 95. 96. *ad* 100. 24 *Imperator Antoninus A. cum ſalutatus eſſet &c.* Cujac. 15. *obſerv.* 3. 25 Ecdeciano Advento. Cujac. ibid. 26 *Macrinio*, Cujac. *ibid.* 27 *Principibus*, Cujac. *ibid.* ſic enim apud Lampridium in Alexandro. Sunt autem Principes officiorum, principes agentium in rebus. 28 Senatorii Equeſtris. 29 Ut deportatus in inſulam reſtitueretur. 30 *Ælio* Cujac. *ibid.* 31 Julius Lucianus deportatus a legato Cæſaris reſtitutus honoribus, ordini, & cæteris omnibus. 32 Reſtitutus provinciæ, vel laribus ſuis, bonis, dignitati vero & bonis, patriæ poteſtati reſtitutus intelligitur. Bonorum enim appellatione liberi continentur. vid. Sfortiam Oddum *d. loco, quæſt.* 95. *art.* 1. 33 In integrum reſtituere quid ſit hoc loco. 34 Hæc reſtitutio pleniſſima eſt. Nam & patria poteſtas, jus patronatus, bona, teſtamentum & omnia, quæ per deportationem amiſſa ſunt, reſtituuntur. 35 Indulgentia pœnam, at non bona reſtituit, niſi & id quoque dictum fuerit. 36 Indulgentia ſimplici vel generali, non intelliguntur bona indulta, *ut hic*, & *l.* 4. *l.* 5. *infr. h. t.* (cui obſtare videtur *l. ult. in fin. J. h. t.* verum quidam indulgentiæ reſtitutionem illo loco accipiunt pro reſtitutione in integrum, non pro indulgentia) quid ſi indulgentia plena & libera ſit conceſſa? bona quoque conceſſa intelliguntur. vid. Sfortiam Oddum *ibid. quæſt.* 91. *art.* 6. 37 Indulgentia generalis ſtricte accipitur: ut nihil, niſi exceptum ſit, ea veniat, *ut hic*, & *l.* 9. *infr. h. t.* 38 Forte modicum. 39 Adde *l.* 5. *ſupr. de bon. proſcriptor.* vide Cujac. 15. *obſ.* 38. 40 Si miſſus in metallum poſtea revocetur, quamvis deinceps locuples fiat, nemini tamen tenetur eorum nomine, quæ ante metalli damnationem debuit: niſi priſtina ejus bona fuerint ei reſtituta. *Synopſ. Baſil.* 6. *Tit.* 3. ex *lib.* 60. *tit.* 68. *cap.* 8. 41 Vid. quæ ſcripſi ad *l.* 7. *J. h. t.* 42 Revocatus ex metallo, licet locuples poſtea factus fuerit, non tenetur creditoribus eorum nomine, quæ ante pœnam metalli debuit, niſi priſtina ejus bona ſint ei reſtituta, *l.* 12. *J. h. t.* 6. *Ecl.* 5. *ex lib.* 60. *tit.* 68. *c.* 8. Goth. Adde Joann. Baptiſt. Coſt. *de quot. & rat. quæſt.* 120. Anſ. 43 Vide eandem *d. l.* 7. *ubi ſcripſi.* 44 Deportatis reſtitutis actio in debitores non reſtituitur, *ut hic*, niſi cum bonis reſtitutio facta ſit. *l.* 11. *J. h. t.* 45 Filius reſtitutus, in patriam poteſtatem non revertitur, *ut hic*, niſi ea conditione reſtitutus ſit, ut jus poteſtatis redintegraretur. *arg. l.* 9. *infr. h. t.*